

## Die Urkunden Karls des Großen, 85

Carolus gratia dei rex Francorum vir inluster omnibus fidelibus nostris tam presentibus quam futuris. Maximum regni nostri augere credimus munimen, si beneficia oportuna loca ecclesiarum utilitatibus decreta benivola deliberatione concedimus ac deo protegente stabiliter perdurare confidimus. Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, quomodo nos ad petitionem venerabilis viri Sturmionis abbatis de monasterio Fulda, ubi ipse pretiosus dominus Bonifacius corpore requiescit, in pago Grabfelt super fluvio ipsius Fulda, tale pro reverentia ipsius sancti vel pro eterna retributione beneficium visi sumus concessisse, ut in villas ecclesie domni Bonifacii, quas moderno tempore aut nostro aut cuiuslibet munere habere videtur vel quas deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit divina pietas amplificare, ut nullus iudex publicus ad causas audiendum vel freda exigend quoquo tempore non presumat ingredi, sed ipse predictus abba vel successores sui propter nomen domini sub integre emunitatis nomine valeant dominari. Statuentes enim, ut neque vos neque iuniores aut successoresque vestri aut ulla publica iudiciaria potestas quoquo tempore in villas ubicumque regni nostri ipsius ecclesie aut regia aut privatorum largitate collatas aut quascumque fuerint collaturas ad audiendas altercationes ingredi aut freda exigere nec mansiones aut paratas vel fideiussores tollendum non presumant; sed quicquid exinde de ingenuis aut de servientibus ceterisque nationibus, que sunt infra agros vel fines vel per terras predicte ecclesie commanentes, aut de freda aut undecumque poterit sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ecclesie sancti Bonifacii per manus agentium eorum proficiat in augmentum. Et quod nos propter nomen domini et anime nostre remedium seu nostra prosequente progenie plena devotione indulsimus, nec regalis sublimitas nec cuiuslibet iudicum seva cupiditas refragare temptetur, sed presens traditio nostra tam presentibus quam et futuris temporibus inviolata deo adiutore firmiter permaneat. Et ut hec emunitas firmior habeatur et per tempora melius conservetur, de annulo nostro subter sigillavimus.

Signum (M.) Karoli gloriosissimi regis.

Frado advicem Lutherii recognovit.

Data VIII kal. octob. anno sexto regni nostri; actum Dura palatio publico; feliciter.